

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCC^{XLIII}_{XLIV}

A DIE XX M. OCTOBRI

PUBLICAE PRIVATIMQUE HABENDARUM

PRAEMISSA EST

DISPUTATIO DE DEO EX MACHINA.

LITERIS ADLERIANIS.

INDEX
LECTIONUM

ACADEMIA HISTORICA

SEMINARIUM HISTORICUM

ANNO 1811

PROFESSOR HISTORIAE

PROFESSOR HISTORIAE

PROFESSOR HISTORIAE

De deo ex machina quae olim in Quaestt. Aristoph. p. 132 occasione forte oblata paucis dixi, quum mihi non omni ex parte satisfacerent, in re difficili atque obscura, quantum potui, tantum secundis curis elaboravi. His scriptis C. A. Boettigeri de hac ipsa re commentariolum (exstat in ejus Opusculis p. 348 sqq. ed. Sillig.) diligenter perlegi. Sed quum vidissem, virum latine perdoctum et in antiquitatibus egregie versatum suo obsequi ingenio, quam antiquos testes interrogare maluisse, eundemque de sola prope hujus machinae constructione disseruisse, caetera autem, quae haud paullo certiora sunt, paene omnia neglexisse, res denique a proposito alienas immiscere non dubitasse: doctissimi elegantissimique viri perpaucis tantum adnotationum locis mentionem facere potui. Nunc ad rem veniamus. Constat, in extrema fere tragoedia ad catastrophē i. e. subitam rerum mutationem, quae momento est, saepe deum ex machina necessario adhibendum fuisse. Recte Aristoteles in Poet. c. 15 *μηχανὴ χρηστὴ ἐπὶ τὰ ἔξω τοῦ δράματος, ἢ ὅσα πρὸ τοῦ γέγονεν, ἃ οὐχ οἷόν τε ἄνθρωπον εἶδέναι, ἢ ὅσα ὕστερον, ἃ δεῖται προαγορεύσεως καὶ ἀγγελίας ἅπαντα γὰρ ἀποδίδομεν τοῖς θεοῖς ὁρᾶν*. Recte etiam sive Neoptolemus P., sive Horatius A. P. v. 191. Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus | inciderit. Quo loco interpretes Herculis in Philocteta et in Hippolyto Dianae exemplis apte utuntur. Contra male deus e machina inseritur, si nihil loci est tali excusationi. Patet enim, deo repente inducto non solvi potius nodum, quam secari. Ita ejusmodi tragoediae implicationem tantum habent, carent autem justa solutione. Verissime Aristoteles ibid. c. 15 *φανερὸν οὖν, ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ — ἀπὸ μηχανῆς —*. Et ibid. c. 18 *πολλοὶ δὲ πλέξαντες εὖ λύουσι κακῶς*. Nimirum longe facilius est, callide implicare nodum, quam sapienter dissolvere. Hanc igitur legem haud raro tragoedia violavit recentior. Violavit interdum Euripides, qui deo ex machina aliquanto saepius utitur, quam Aeschylus et Sophocles,

violarent alii tragici, vel aequales ¹⁾ vel seriores. Quare et Antiphanes Athenaei VI. p. 222, c et Plato in Cratilo p. 425 E. et ex Platone Cicero De N. D. I, 20 et Eunapius Exc. De Legatt. p. 321 tragicos poetas reprehendunt, quod quum explicare argumenti exitum nesciant, ad deum ex machina soleant confugere. Sed quia deus tragicus subito conspectus auxilium miseris afferre solet, in proverbium abiit notum illud dictum, Ἀπὸ μηχανῆς θεὸς (ἐπεφάνης) h. e. tu subito nobis auxilio es. Schol. Platon. p. 394 B. Ἀπὸ μηχανῆς θεὸς ἐπεφάνης: ἐπὶ τῶν ἀπροσδοκῆτως ἐπ' ὠφελείᾳ καὶ σωτηρίᾳ φαινόμενων (ἐν γὰρ ταῖς τραγωδίαις ἐξ ἀφανοῦς θεοὶ ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἐφαίνοντο.) Μένανδρος Θεοφορουμένη καὶ Κεκρυφάλῳ. Prorsus eandem vim habet hoc proverbium quum apud Pseudoplatonem in Clitophonte init. (II. III. p. 466 B.) de Socrate virtutis doctore, ὁπότε ἐπιτιμῶν τοῖς ἀνδράσιν, ὥσπερ ἐπὶ μηχανῆς τραγικῆς θεὸς, ὕμνευς λέγων· ποῖ φέρεσθε, ἄνθρωποι — ; ²⁾ tum apud Lucianum Hermotim. c. 86 de Luciano Hermotimi hospitate, ἀνέσπασας ἐπιστάς, τὸ τῶν τραγωδῶν τοῦτο, θεὸς ἐκ μηχανῆς ἐπιφανὲς et iterum in Philopseude c. 29 de Arignoto, gravi philosopho, qui supervenerat, — καὶ, τὸ τοῦ λόγου, θεὸν ἀπὸ μηχανῆς ἐπειδουκλήθηναί μοι τοῦτον ὥμην ὑπὸ τῆς τύχης. Hoc igitur proverbium latine sic reddi potest, virgula divina supeditatus, sive de coelo delapsus, quod utrumque est apud Ciceronem. ³⁾ Ceterum alia quaedam dicta Clitophontis loco similia et

¹⁾ Schol. ad Pac. v. 769 de Carcino ejusque filio Xenocle, μηχανοδίφας εἶπεν αὐτοῦς, ἐπειδὴ πολλάκις ὡς τραγωδοὶ μηχανὰς εἰσέφερον, ἡντὶα θεοῦς ἐμιμοῦντο ἀνερχομένους ἢ κατερχομένους ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. At falsam esse hanc interpretationem ad Thesmoph. p. 163 ostendi.

²⁾ Quod Arrianus ad hunc ipsum locum spectans verbis ἐπὶ σκηνὴν τραγικὴν ἀνερχόμενον usus est, ex eo non continuo sequitur, ut censet Ruhnkenius ad Timaeum p. 185 ed. I., Arrianum in Clitophonte ὥσπερ ἐπὶ σκηνῆς τραγικῆς θεὸς λέγισσε: quae lectio etiam alioquin explodenda fuerit. Tametsi enim deorum machina etiam τραγικὴ σκηνὴ dicebatur, proverbium tamen his tantum verbis ἀπὸ μηχανῆς θεός, non etiam his ἀπὸ σκηνῆς θεός conceptum est.

³⁾ Hanc illius proverbii explicationem adjuvant etiam quum Lucianus De Merc. Conduct. c. 1, tum Suidas et ex eo schol. Luciani ad Hermotim. c. 86 Ἀπὸ μηχανῆς: ἐπὶ τῶν παραδόξων καὶ παραλόγων. οἱ γὰρ τῶν τραγωδιῶν ποιηταί, ὅταν εἰσῆγαγον εἰς τὴν σκηνὴν (deest accusativus, ut ὕβριν) ἢ τόλμαν, ὥστε συγχυθῆναι τοὺς θεατὰς πρὸς τὰ εἰρημένα, καὶ ἐλεεῖν τοὺς ἡτυχημένους δόξαντας ὡς ἀνάξια πεπονθότας, ἢ μισῆσαι τοὺς πεποιηκότας καὶ (male apud Suidam est ἢ) παρανομήσαντας, εἰσάδει θεοῦς εἰσάγειν — . Similiter schol. ad Philopseud. c. 29 ἢ ἐξ ἀριστερῶν (sc. μηχανῆς) θεοῦς καὶ ἥρωας ἐνεφάνιζε παρευθύν, ὥσπερ λύσιν φέροντας τῶν ἀμηχανῶν, καὶ τούτου παραδουμένου, ὡς οὐ χρὴ ἀπιστεῖν τοῖς δρωμένοις, ἐπεὶ θεὸς πάρεστι τῷ

partim ex eo expressa collegit Wytttenbachius ad Plutarch. Moral. p. 4, E, quorum nullum ad machinam pertinet divinam. Sed idem vir egregius in Biblioth. Crit. III. I. p. 42 docuit rhetoras quosdam eundem Clitophontis locum ne machina quidem omitta imitatos esse, Dionem Chrys. Or. XIII, p. 222 D. πρὸς ἅπαντας βοῶν (ὁ Σωκράτης) καὶ ἐν τῷ Λυκίῳ καὶ ἐπὶ τῷ δικαστηρίῳ καὶ κατ' ἀγορὰν, ὥσπερ ἀπὸ μηχανῆς θεός, ὡς ἔφη τις, Aristidem T. I. p. 78 δοκῶ μοι κατακοῦειν φωνῆς ἀπὸ μηχανῆς θεοῦ τινος — λέγοντος, παύσασθε ὦ ἄνθρωποι,⁴⁾ Themistium Or. XXVI p. 320 C. ἀναβῆναι ἐπὶ βῆμα ὑψηλὸν καὶ ἀνειπεῖν, ὥσπερ θεὸν ἐκ τραγικῆς μηχανῆς, ποῖ φέρεσθε, ὦ ἄνθρωποι. Hos igitur omnes apparet primum in Clitophonte μηχανῆς, minime vero σκηνῆς legisse, tum etiam toti proverbio eam ipsam sententiam, quam nos supra diximus, subjecisse. Attamen in Pseudoplatone huic proverbio Wytttenbachius l. c. significationem tribuit non-nihil diversam, auctoritatis et majestatis, qua dii ex alto et superiore loco ad homines dicere fingantur. Quae significatio a Pseudoplatonis loco abhorrere videtur, convenire autem in alium, quo ibidem Wytttenbachius utitur, Juliani Encom. Constant. p. 3 D. ὁ νόμος οὐδεμίαν ἰδέαν ἐπιτάττει λόγων· οὐδ' ὥσπερ ἐκ τινος τραγικῆς μηχανῆς φησι χρῆναι προαγορεύειν τοῖς ἐντυγχάνουσι, σπεύδειν μὲν πρὸς τὴν ἀρετὴν, φεύγειν δὲ τὴν πονηρίαν. Aliud est enim ἀπὸ μηχανῆς θεός, quo subitum auxilium declarari solet, aliud rursus non addita dei auxiliatoris notione ὥσπερ ἀπὸ μηχανῆς, quod et apud Julianum reprehensionem habet, et alio tamen modo apud Demosthenem Adv. Boeotum p. 59, 4 B. (p. 1025 R.) ἄλλος μὲν οὐδεὶς αὐτῷ παραγενέσθαι μεμαρτύρηκε, Τιμοκράτης δὲ μόνος, ὥσπερ ἀπὸ μηχανῆς, μαρτυρεῖ μὲν δεκάτην ἐστιᾶσαι τούτῳ τὸν ἐμὸν πατέρα, ἡλικιωτῆς ὢν τοῦ νυνὶ φεύγοντος τὴν δίκην κ. τ. λ. Nempe ἀπὸ μηχανῆς μαρτυρεῖν testis dicitur subito exortus planeque inexpectatus. Timocrates enim ea testari ausus erat, quibus ipse per aetatem interesse non potuisset. Ita vero etiam, ut ad Thesmophor. p. 97 ostendi, εἰσκυκληθῆναι eum ajunt, qui subito apparuerit, nullo prorsus neque exspectante neque vero optante, sive hanc similitudinem ab encyclemate, sive a deorum machina ductam esse placet. Simillimus Demosthenico locus est Plutarchi Moral. p. 870 C Ὁ δὲ κέλης οὗτος ἦν, ὡς ἔοικεν, οὐρανοπετής· τί γὰρ ἔδει τίθεσθαι (ἀπέχεσθαι Wytttenbachius) μηχανῆς τραγικῆς, ἐν πᾶσι τοῖς ἄλλοις

ἔργῳ, ὃ μὴδὲν ἀδύνατον ἐκτελεῖν. ἐκ τούτου δὲ ἐπὶ πάντων τῶν παρὰ προσδοκίαν καὶ συμφερόντως τινὶ συμβαινόντων ἐπεκράτησε λέγεσθαι τὸ ἐκ μηχανῆς θεός.

⁴⁾ Addit Wytttenbachius eundem Aristidem T. II p. 378 ἄλλ' αὐτὸ δὴ τοῦτο, ὥσπερ θεὸς τῶν ἀπὸ μηχανῆς λέγει.

ὑπερπαίοντα τοὺς τραγωδοὺς ἀλαζονεία; Consulant, qui possunt, codices Parisinos. Ego interim conjicio, τί γὰρ ἔδει φεῖδεσθαι μηχανῆς —; Deinceps quaerendum est, in qua potissimum scenae parte sita machina illa fuisse videatur.⁵⁾ De qua re ita scribit Pollux IV, 128 ἡ μηχανὴ δὲ θεοὺς δείκνυσιν καὶ ἥρωας τοὺς ἐν αἵρι — καὶ κεῖται κατὰ τὴν ἀριστερὰν πὰροδον, ὑπὲρ τὴν σκηνὴν τὸ ὕψος.⁶⁾ Falso Jungermannus sinistram πὰροδον eam dici putat, quae altero nomine εἴσοδος appellabatur, h. e. sinistram januam, quae ducebat in orchestra. Quum enim ὑπὲρ τὴν σκηνὴν additum sit, ea potius janua intelligi debet, quae erat in sinistro latere proscenii, sive iter sinistrae versurae (τὰς ἄνω παρόδους apte nominat Plutarchus in Demetrio c. 34). Jam e Vitruvio V, 6, 8 ed. Schn. consequitur, secundum tres valvas scenae posticae in lateribus primum fuisse periactos, deinde secundum periactos demum fuisse duas versuras procurrentes (i. e. τὰς ἄνω παρόδους). Itaque deorum machina omnino fuisse videtur secundum sinistram versuram, ita ut machina propius, quam versura ab orchestra abesset. Cum Polluce plane consentit schol. Lucian. ad Philopseud. c. 29 ἐπὶ τῶν θεάτρων, ἡγίκα τι παράδοξον ἐπιτελεῖσθαι ἔδει καὶ πλέον ἔχειν πίστεως, ἄνωθεν ὑπὲρ τὰς παρ' ἑκάτερα τῆς μέσης τοῦ θεάτρου θύρας (αὗται δὲ πρὸς τὴν εὐθείαν τοῦ θεάτρου πλευρὰν ἀνεώγεσαν, οὐ καὶ ἡ σκηνὴ καὶ τὸ προσκήνιον ἔστι) μηχανῶν δύο μετεωριζομένων, ἡ ἐξ ἀριστερῶν θεοὺς καὶ ἥρωας ἐνεφάνιζε παρευθὺ κ. τ. λ. Verba ὑπὲρ τὰς — θύρας per se ambigua esse fateor. Accuratius certe scripsisset grammaticus, ὑπὲρ τὰς παρ' ἑκάτερα τῶν δύο θυρῶν τῶν περὶ τὴν μέσην τοῦ θεάτρου θύρας. His ipsis enim verbis versuras, quae in scenae lateribus erant, descripsit Pollux IV, 126 παρ' ἑκάτερα δὲ τῶν δύο θυρῶν τῶν περὶ τὴν μέσην, ἄλλαι δύο εἶεν ἄν, μία ἐκατέρωθεν, πρὸς ἃς αἱ περιαντοὶ συμπεπήγασιν. Veruntamen scholiastam quoque laterum versuras intelligi voluisse satis docent verba ipsius, αὗται δὲ — προσκήνιον ἔστιν i. e. „hae januae ad rectum theatri latus patebant (spectabant), ubi est proscenium.“ Accedit,

⁵⁾ Hanc quaestionem non miramur a Boettigero praetermissam esse. Dicit enim p. 355, tres omnino in scena januas fuisse, unam in fronte sitam et alias duas, quae utrimque in latus procurrerent. Immo quinque in scena graeca erant januae, tres in fronte sitae (valva media et dextra ac sinistra hospitalia), praeterea autem duo in lateribus itinera versurarum, id quod apertissime docet Vitruvius V, 6, 3 et iterum ibidem § 8, docet Pollux IV, 124 — 127. Et Pollux quidem diserte cavet, ne quis cum his quinque scenae januis duas alias portas temere confundat, quae non in scenam, sed in orchestra spectabant.

⁶⁾ Recte dictum est τὸ ὕψος, ut nihil opus sit conjectura Boettigeri p. 356 πρὸς ὕψος.

quod laterum versuras eadem ratione, qua hic scholiasta, declarant Suidas s. *Σκηνή* sive Etymol. M. p. 743, 30 *Σκηνή ἐστὶν ἡ μέση θύρα τοῦ θεάτρου. Παρασκήνια δὲ, τὰ ἐνθεν καὶ ἐνθεν τῆς μέσης θύρας* —. Parascenia enim significant haec ipsa itinera versurarum duo ad latera scenae, adde etiam proximos locos, in quibus apparatus scenicus reponebatur, id quod ego ad Thesmoph. p. 252 et Meinekii Fragm. Com. IV p. 722 demonstravimus. Quamobrem Pollux et Luciani scholiasta prorsus consentiunt, praeterquam quod machina secundum Pollucem, cui fidem esse arbitror, juxta sinistram versuram fuit, secundum scholiastam autem super versura sinistra, in ipso quidem, ut recte idem scholiastes, proscenio. Tum scholiasta addit, super dextra versura aliam machinam nescio quam fuisse, a nostra certe diversam. Itaque in Quaestt. Aristoph. p. 133 erravi, quum ambiguus scholiastae verbis *ὑπὲρ τὰς* — *θύρας* motus deorum machinam super sinistra extremae scenae valva repositam vellem. Nam in latere sinistro, ut supra dictum est, omnino deorum quoque machinae locus erat relictus. Ne illud quidem verisimile est, deos ex machina quasi procul apparuisse spectatoribus, non in ipso proscenio, ne lusus mentis turbaretur. Etenim saepe apud Euripidem dii ex machina longas habent orationes, quae in scenae parte ultima habitae non satis commode exaudiri a spectatoribus potuissent. Quemadmodum igitur vulgare logeum, de quo actores declamabant, secundum orchestram in primo fuit proscenio: sic etiam nostrum theologeum in proscenio situm fuisse oportet. Sed ne deorum machina nihil machinata esse videatur, etiam de ipsa ejus machinatione, de structura specieque externa et vario usu exponendum est. Inter omnes igitur auctores convenit, deos ex machina, quum in aëre suspensi tenerentur, in edito loco apparuisse, sicuti apparuit Minerva *οἰκῶν ὑπερτελής* in Jone v. 1549, et Rabies cum Iride *ὑπὲρ δόμων* in Herc. Fur. v. 817. De caetero hic quoque proficiscamur a Polluce IV, 129 *ὃ δὲ ἐν τραγωδίᾳ μηχανή, τοῦτο ἐν κωμῳδίᾳ κράδη. δῆλον δὲ, ὅτι συκῆς ἐστὶ μίμησις· κράδην γὰρ τὴν συκὴν καλοῦσιν οἱ Ἀττικοί*. Paullo aliter Hesychius, *Κράδη: συκῆ, κλάδος, καὶ ἄγκυρις, ἐξ ἧς ἀνήπτουντο* (ita legendum non *ἐνήπτουντο*; codex enim *ἀνίπτουντο*) *οἱ ἐν ταῖς τραγικαῖς μηχαναῖς ἐπιφανόμενοι* et Appendix Proverb. Vatic. II, 20 *Κράδης ῥαγείσης: νῦν οὐχ ὁ σύκινος κλάδος, ἀλλ' ἡ ἄγκυρα* (*ἄγκυρις* Zenobius ap. H. Stephani Thes. L. G. p. 5288 ed. Lond.), *ἀφ' ἧς οἱ ὑποκρίται ἐν ταῖς τραγικαῖς μηχαναῖς (σκηναῖς Zenobius ibidem) ἐξαπτόνται, θεοῦ μιμούμενοι ἐπιφάνειαν, ζωστήρσι καὶ ταινίαις κατειλημμένοι*⁷⁾. Adde

⁷⁾ Scriptoris nescio ejus verba *Κράδης ῥαγείσης* docent, hunc hamum sive uncum, quum ludi fierent, aliquando ruptum esse.

schol. ad Pac. v. 626 sive Suidam s. v. Κράδῃ: εἶδος συκῆς· ἔστι δὲ καὶ μηχανή. Quum igitur Pollux κράδην comoediae tantum tribuerit, Hesychius et Zenobius ita ab eo discedunt, ut κράδην ad ipsam tragicorum machinam referant; quumque Pollux κράδην in comoedia tantundem valuisse dicat, quod μηχανήν in tragoedia, alteri κράδην de parte tantum tragicae machinae accipiunt. Scilicet videtur κράδῃ proprie hamum tantummodo hujus machinae designasse, tum vero etiam positum esse de universa. Nam permirum illud nomen κράδῃ quomodo explicandum sit, Pollux ipse nutu quasi et significatione ostendit⁸⁾. Nobis enim Κράδῃ comicae machinae esse videtur comica appellatio, ex eo illa quidem petita, quod machina, qua vehuntur, de unco similiter pendeat, atque de ficu arbore (κράδῃ) ii pendent, qui vitam laqueo finiunt. Atque id dicebatur ἀπὸ κράδῃς κρεμάννυσθαι teste Athenaeo III, p. 74 c' Ἡ συκῇ, φησὶν ὁ Μάγνος οὐδενὶ γὰρ τῶν περὶ συκῶν λόγων παραχωρήσαιμι, κἄν ἀπὸ κράδῃς κρέμασθαι δέη, φιλόσυκος γὰρ εἰμι δαιμονίως, λέξω τὰ μοι προσπίπτοντα. Ita enim recte cod. Venetus pro vulgato κἄν ἀποκρέμασθαι δέη. Praeterea audiamus Timonem concionantem ap. Plutarch. in Antonio c. 70 — συκῇ τις ἐν αὐτῷ πέφυκεν, ἐξ ἧς ἡδὴ συκνοὶ τῶν πολιτῶν ἀπήγγεξαντο, et Cic. De Oratore II, 69 — quum familiaris quidam quereretur, quod diceret uxorem suam suspendisse se de ficu caet.⁹⁾ Denique favet nostrae nominis κράδῃ interpretationi locus Nub. v. 860 Σω. νηπύτιος γὰρ ἔστ' ἔτι, | καὶ τῶν κρεμαστῶν οὐ τρίβων τῶν ἐνθάδε. | Φει. αὐτὸς τρίβων εἴης ἂν, εἰ κρέμαίό γε. Socrati enim, quod meditandi causa in κρεμαστῇ sive κρεμάθρᾳ h. e. in κράδῃ sublimis pependerit, Phidippides mortem sublimi machina condignam, suspendium imprecatur. Quum igitur κράδῃ proprie uncum significet, tecto ut opinor incussum, funes ex hoc unco videntur aptati fuisse, praesertim si species fuit haud absimilis suspendio. Nec profecto deus ex machina, nisi funibus acta aut degredi in scenam aut sublimis abire potuisset. Quamobrem non male ita scripsi in Quaestt. Aristoph. p. 133 „Μηχανήν appellabant totam tabularum compagem, qua deus sustinebatur; haec rursus suspensa erat a funibus quibusdam, qui desuper de summo tecto paullatim remittendo deducebantur. Quod ubi machina ad certum usque locum

⁸⁾ Vir amicissimus ficum a Polluce non vulgare dici coniecit, sed indicam. Nihil omnino extricavit Boettiger p. 358: Laudabo, inquit, qui hanc (ficus) similitudinem vel fidiculis expresserit.

⁹⁾ Ex hoc ipso fonte, ut ad Ranas v. 736 conieci, manavit proverbium Ἐξ ἀξίου ξύλου τι πάσχειν, Ἀπὸ καλοῦ ξύλου κἄν ἀπάγξασθαι, Vel strangulari pulcro de ligno juvat — de eo, qui honeste glorioseque intereat. Proprie est enim, opinor, de felici arbore se suspendere, non de ficu, malo ligno atque inutili.

in aëre demissa esset, tum funes ferreis uncis (*ἀγκύραις*) tecto incussis supra ita retinebantur, ut machina ne amplius delaberetur, sed staret immota. Finita oratione deus ita in aetherem abibat, ut machina funium illorum ope in altum reduceretur.“ Verum haec quoque non-nihil habent dubitationis. Primum enim deorum machinam ego ductilem tantum animo informavi, quam eandem fuisse versatilem certissimis auctoribus constat. Deinde funibus instructam fuisse hanc machinam nullo satis certo teste demonstrare licet. Etenim Pollux IV, 127 prorsus discernit *τὴν μηχανὴν* ab *αἰώραις* ac tum seorsim describit primum machinam § 128 *ἡ μηχανὴ δὲ θεοὺς δείκνυσι καὶ ἥρωας τοὺς ἐν ἄερί, Βελλεροφόντας ἢ Περσέας* —, deinde aeoras § 131 *αἰώρας δ' ἂν εἴποις τοὺς κάλως, οἱ κατήρτηνται ἐξ ὕψους, ἀνέχειν τοὺς ἐπὶ τοῦ ἀέρος φέρεσθαι δοκοῦντας* “*Ἡρώας ἢ θεοὺς*“. Dicit igitur aeoras ad volatum imitandum comparatas fuisse, quum machina in certo aëris loco plerumque staret immota, eoque melius dicit, quod ea vis est vocum *αἰώρα*, *αἰώρημα*, ut motum in aëre oscillationemque declarare soleant. Idem tamen quod Bellerophonem et Perseum in machina ait conspectos esse, secum ipse pugnare videtur. Perseus verbi causa in Andromeda erat, Bellerophon autem in Bellerophonte Euripidis. Atqui Perseus volabat, Bellerophontes autem in aëre equitabat, ut aeoris, non machina opus fuisse videatur. Quin etiam dii ex machina interdum se volare ostendunt, ut Dioscuri ap. Eurip. Electr. v. 1349 *διὰ δ' αἰθερίας στείχοντε πλακὸς, | τοῖς μὲν μυσαροῖς οὐκ ἐπαρήγομεν κ. τ. λ.* Jam sicuti Bellerophon, cui machinam tribuit Pollux, Pegaso vectus caelum ipsum petiit stultitia: ita etiam Bellerophontis Euripidei imitator derisorque in Pace Trygaeus,¹⁰⁾ cui aeorema tribuit scholiasta Venetus, scarabaeo in caelum vehitur.¹¹⁾ Quae omnia eo tendunt, ut deorum machina et aeorema nihil differre videantur, quam ipsius scholiastae sententiam esse arbitror ad Pac. v. 77 *μετέωρος δὲ αἶρεται ἐπὶ μηχανῆς. τοῦτο δὲ καλεῖται ἐώρημα. ἐν αὐτῇ δὲ κατήγον τοὺς θεοὺς καὶ τοὺς ἐν ἄερί λαλοῦντας*. Ergo probabile est, machinam, quae *κράδη* dicebatur, aeoris atque funibus non caruisse.¹²⁾ Nec vero ea, quae apud

¹⁰⁾ De Trygaeo haec scripsi l. l. p. 134 „Quaesivit ex me aliquando amicus, quonam pacto Trygaeus in Pace e proskenio in caelum h. e. in apertum tectum avolasset. Cui ego factum id esse aeorematis ope confirmabam. Idem jam dudum viderat Scholiasta Venetus —.“ Amicus, quem dixi, est A. Seidler, vir laudatissimus.

¹¹⁾ Similiter Oceanus gryphe alite vectus equitat in Prometheo v. 286 sq. et v. 394 sqq. De chori curru alato in eodem Prometheo Schuetzius ad v. 135 disseruit.

¹²⁾ *Αἰώρας* ad *κράδη* machinam pertinere ait etiam Boettiger p. 359. Ego id olim l. l. p. 134 Pollucem sequutus negavi.

Pollucem est, κράδης machinae ab aeoris distinctio plane impedit, quominus aeoras harum ipsarum κραδῶν (uncorum) funes fuisse conjiciamus. Tot enim diversas machinandi rationes scenae atticae Pollux tribuit, ut appareat, unum idemque genus sive totum sive aliquas partes nonnunquam pluribus nominibus appellata esse; neque enim scena variis machinamentis tota poterat scaterere. Quid, quod ipse Pollux IV, 129 τὴν δὲ ἐξώστραν, inquit, ταῦτόν τῳ ἐγκυκλήματι νομίζουσιν. Sed aliud ex eodem Polluce exemplum plane insigne proponam, quod ad ipsam deorum machinam spectat. Pollux enim IV, 127 aliam fuisse narrat deorum machinam, aliud theologium, de eoque postea ita scribit § 130 ἀπὸ δὲ τοῦ θεολογίου, ὅντος ὑπὲρ τὴν σκηνὴν ἐν ὕψει, ἐπιφαίνονται θεοὶ, ὡς ὁ Ζεὺς καὶ οἱ περὶ αὐτὸν ἐν Ψυχαστασίᾳ. Atqui certum puto, deorum logeum non differre a machina divina sive ipsa hujus machinae compage. Nam in Aeschylī Psychostasia Jupiter et quae prope adstabant Thetis atque Aurora, quid tandem aliud fuerunt, nisi θεοὶ ἀπὸ μηχανῆς? Et divinae machinae compages quonam aptiore nomine dici potuit, quam theologiei? Ceterum de theologo haud dubie erravit Kanngiesser Die alte kom. Bühne p. 148.

At enim perpauca sunt, quae de hac machina ut ductili afferre liceat; plura vero ac paullo uberiora, quae de eadem passim tradita sunt ut versatili. Quanquam omnes ejusmodi locos a me collectos esse neque ullam literam oculos meos effugisse vix ausim affirmare. Primum igitur Suidas s. Ἀπὸ μηχανῆς sive schol. ad Luc. Hermotim. c. 86 haec habet, — οἱ γὰρ τῶν τραγωδιῶν ποιηταὶ — εἰώθασι θεοὺς εἰσάγειν, οὐκ ἐπ' (ἀπ' Suidas) αὐτῆς τῆς σκηνῆς ὀρμωμένους (corrigere οὐκ ἐπ' αὐτῆς τῆς σκηνῆς ὀρμωμένους), ἀλλ' ἐξ ὕψους ἀπὸ τινος μηχανῆς, ἣν ἔβλεπον μὲν πρότερον οἱ θεαταί, κατ' ἐκείνην δὲ τὴν ἡμέραν στρεφομένη ἐδείκνυε τὸ τοῦ θεοῦ πρόσωπον, καὶ (corrigere ὡς) τοῦτο καταστολὴν εἶναι τοῦ δράματος. ἐλέγετο δὲ θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. Pro στρεφομένη unus Suidae codex exhibet στρεφόμενος, scholiasta autem pro eodem ὁ φοβούμενος, sed nihil verius est lectione vulgata. Verba ἣν ἔβλεπον μὲν πρότερον οἱ θεαταί, si sana sunt, sic explicanda videntur, spectatores machinam antea rectam vidisse, tunc autem vidisse conversam. Sed exspectes contrarium, ἣν πρότερον μὲν οὐκ ἔβλεπον οἱ θεαταί —, siquidem antea scenam modo tabulasque videres, non item ipsam machinam, quae ante supra videtur occultata esse.¹³⁾ Gravior etiam auctoritas Plutarchi est Moral. p. 996, B — τὴν δὲ μεγάλην — ἀρχὴν τοῦ δόγματος ὁκνῶ μὲν ἐπὶ τῳ λόγῳ κινεῖν,

¹³⁾ Non dixit Suidas, quod dicentem fecit Boettiger p. 356, spectatores antea non illos quidem machinam vidisse, sed tantum contignationem seu tabulas in superioribus scenae partibus.

ὥσπερ ναῦν ἐν χειμῶνι ναύκληρος, ἢ μηχανὴν αἶρει ποιητικὸς ἀνὴρ ἐν θεάτρῳ σκηνῆς περιφερομένης. Scilicet Plutarchum de deorum machina loqui quum verba quibus utitur, tum res ipsa docent. Plane enim cum quodam existimationis suae periculo tragicus poëta deum ex machina inducit, qui nunquam interesse debet, nisi dignus vindice nodus inciderit. Tum formulam μηχανὴν αἶρειν de deorum machina posuit ipse Plutarchus in Themistocle c. 10 *Ἐνθα δὴ Θεμιστοκλῆς, ἀπορῶν τοῖς ἀνδρωπίνοις λογισμοῖς προσάγεσθαι τὸ πλῆθος, ὥσπερ ἐν τραγωδίᾳ μηχανὴν ἄρας σημεῖα δαιμόνια καὶ χρησμούς ἐπήγεν αὐτοῖς* et Antiphanes ap. Athen. VI, p. 222, c similemque Θεοῦς αἶρειν Plato in Cratylo p. 425, E. Nempe in altum sublatis dii prodibant.¹⁴⁾ Denique verba σκηνῆς περιφερομένης sic intelligenda sunt, quum tabula scenae circumagitur. Σκηνή enim et tabernaculi tabulas significat (Lex. Rhetor. Bekkeri p. 302, 31 sive Etym. M. p. 743, 13), et vero eas tabulas, quibus scena ac pulpitum extentum est (die Couliissen). Veluti etiam Servii ad Virg. Georg. III, 24 scena versilis et ductilis nihil aliud esse potest, quam scenae tabula versilis et tabula ductilis. Quod autem Plutarchus vocibus illis de divina machina usus est, id illustrare licet incerti scriptoris, attici tamen dictione τραγικὴ σκηνή, qua et ipse deorum machinam declaraverat. Glossa, quam dixi, exstat ap. Photium p. 597, 14 sive Suidam s. v. *Τραγικὴ σκηνή: πῆγμα μετέωρον, ἐφ' οὗ ἐν θεῶν σκευῇ* (σκευῇ recte Porsonus; cod. Galeanus σκηνή, apud Suidam vulgo σκηναῖς h. e. σκευαῖς) *τινὲς παριόντες* (male ap. Suidam παρόντες) *ἔλεγον*. Eadem minus accurate scripta legitur ap. Etymol. p. 763, 27 sive Timaeum Lexic. p. 185 *Τραγικὴ σκηνή: πῆγμα μετέωρον, ἐφ' οὗ ἐν θεάτρῳ τινὲς παριόντες ἔλεγον*, quam scripturam non debebat Ruhkenius Photio ac Suidae obtrudere. Illud loco ipso amisso nescimus, utrum τραγικὴ σκηνή proprie fuerit tragicus adspectus, an scenae ornatus, an denique mutatio scenae (μετασκευὴ τῆς σκηνῆς, uti fere Luc. Pro Merc. Cond. c. 2). Transeamus ad Lexic. Rhetor. Bekkeri p. 208, 9 *Ἀπὸ μηχανῆς: μηχανή ἐστι παρὰ τοῖς κωμικοῖς ἐγκυκλήματός τι εἶδος ἀπὸ συνθήκης πρὸς ὃ φέρεται ὁ εἰς τὴν σκηνὴν δείξεως χάριν θεοῦ ἢ ἄλλου τινὸς ἥρωος*. Corrige μηχανή

¹⁴⁾ Aliter, sed non minus recte Aristoteles loquitur Metaphys. I, 4 *Ἀναγκαζόρας τε γὰρ μηχανῇ χρῆται τῷ νῶ πρὸς τὴν κοσμοποιῖαν, καὶ ὅταν ἀπορήσῃ, διὰ τίν' αἰτίαν ἐξ ἀνάγκης ἐστὶ, τότε παρέλκει αὐτὸν —*, quem locum recte explicant scholiastae p. 537 ed. Brandis, atque Eunapius in Exc. De Legatt. p. 321 *ὁ καλούμενος ἀπὸ μηχανῆς θεὸς ἐπεισόδιος εἰς μέσον ἔλκεται*. Neque enim in ipso argumento deus ejusmodi inest, sed extrinsecus supervenit, ut quasi obtorto collo tractus esse videatur.

ἔστι παρὰ τοῖς κωμικοῖς ἐγκυκλήματός τι εἶδος, ὃ ἀπὸ συνδήκης πρόσῳ φέρεται εἰς τὴν σκηνὴν κ. τ. λ. Et ἀπὸ συνδήκης quidem significat ἀπὸ συνδήματος ex composito, neque verbis παρὰ τοῖς κωμικοῖς temere substitui licet παρὰ τοῖς τραγικοῖς, quum illa machina etiam in comoediis usitata fuerit. Tum ἐγκύκλημα non solum certam machinam versatilem eam, de qua ad Thesmoph. p. 93 sqq. exposui, designat, verum etiam quamvis machinam versatilem. Quapropter verba μηχανή ἐστιν — ἐγκυκλήματός τι εἶδος sic interpretanda sunt, die Göttermaschine ist eine Art von Drehmaschine. Ex his sequitur, Lucianum in Philopseude c. 29 καὶ τὸ τοῦ λόγου, θεὸν ἀπὸ μηχανῆς ἐπεισκυκληθῆναι μοι τοῦτον ᾧμην ὑπὸ τῆς Τύχης non duas diversas fabricas, deorum machinam et quod proprie dicebatur encyclema commiscuisse, sed elegantissime loquutum esse. Hanc enim vim habent θεὸς ἀπὸ μηχανῆς εἰσκυκεῖται, der Gott von der Maschine wird hineingeleitet. Nec minus recte habet illud Clementis Alexandrini θεοὺς τοῖς θεαταῖς ἐκκυκεῖν deos spectatoribus ostendere in Protrept. p. 7 et iterum p. 37 ed. Lugdun. Jam in Nubibus v. 185 phrontisterium cum discipulis ea machina ostenditur, quam proprie appellabant encyclema, ut docent grammatici ad Thesmoph. p. 95 a me emendati. Sed paullo post v. 219 Socrates ipse per comicam Κράδην in alto suspensus conspicitur, quam alteram machinationem scholiastes appellat Παρεγκύκλημα, encyclema alterum (Nebenencyclem), vocabulo ita formato, ut παραχορήγημα. Apparet vero, ne scholiastam quidem errasse, quum deorum quoque machinam ἐγκύκλημα i. e. ἐγκυκλήματός τι εἶδος vocitaret. Tot igitur auctores prodiderunt, versatilem fuisse deorum machinam: qui quum subito ac derepente in conspectum et adducendi essent et ex oculis auferendi, major haud dubie celeritas fuit versatilis machinae, quam ductilis. Cavendum est autem, ne quis cum deorum machina versili falso confundat scenam versilem eam, quae apud Servium est ad Virgil. Georg. III, 24 „Scena, quae fiebat, aut versilis erat aut ductilis. Versilis tunc erat, quum subito tota machinis quibusdam convertebatur, et aliam picturae faciem ostendebat; ductilis tunc, quum tractis tabulatis hac atque illac species picturae nudabatur interior.“ Immo Servii scenam versilem¹⁵⁾ unice ad periactos referendam esse viderunt Kuhnus ad Polluc. IV, 126 et Schneider ad Vitruvium Vol. II p. 353. Illud autem inprimis memorabile est, Servium hic versilem scenam a ductili prorsus discrevisse: quam sententiam versatiles machinae plures confirmare videntur, periacti, encyclema, stropheum, hemistropheum, quarum nullam eadem opera ductilem fuisse demonstrari potest. Quodsi una deorum machina quum versatilis fuit, tum

¹⁵⁾ Haec machinatio etiam in Romanum theatrum transiit. Valerius Max. II, 4, 6 Versatilem (scenam) fecerunt Luculli.

etiam ductilis, ut dii machina funibus acta demitti reduciue possent: tum vero, qualis machina animo informanda sit, recte dubitare licet. Nam versatilis machina, ne inter ipsam conversionem in aëre vibrata misereque jactata excuteret vectorem atque everteret, quasi maenianum, etiam parietis fundamento videtur sustinenda fuisse; ductilis autem machina, ut deduci reduciue posset, non impediende domus pariete libere jactari debebat. Nisi forte ipsius machinae tanta fuit firmitas, ut sine ullo ruinae periculo in aëre celeriter converti posset. Certe deorum machinam tum ductilem tum versatilem fuisse in Quaestt. Aristoph. p. 133 nimis audacter negavi. Quodsi utrumque genus conjungi utique potuit, tam artificiosa constructione id videtur actum esse, ut aliquis primum conversione machinae in conspectum daretur, deinde autem funibus deductis in ipsam scenam, si forte, descendere posset, interdum etiam in altum reductus nova conversione auferretur.¹⁶⁾ Verum enim

¹⁶⁾ Frustra in hujus machinae structura Boettiger laboravit. Qui quum p. 352 recte observasset, spectantium consessum sub divo fuisse, tamen a falso initio profectus funium deductioni locum fuisse propterea negavit, quod ne scenam quidem tectam esse diceret. In qua sententia neque sibi constat (vide ipsum p. 355), et p. 358 se fatetur inexplicabilibus fere laqueis irretitum teneri. At certum habeo, totam scenam tecto haudquam caruisse. Primum enim *σκηνή* proprie significat tabernaculum, tentorium, umbraculum, quae tecto aliquo omnia clauduntur. Ergo nisi theatri quoque scenae tectum impenderet, ne potuisset quidem scenae nomen ad theatri pulpitem transferri. Tum extremam saltem scenam tecto eoque plano, non obliquo clausam fuisse certissime constat ex Acharn. v. 250 et Polluce IV, 129, ubi videndus Jungermannus. Atqui *σκηνή*, ubi quidem pars est theatri, primum hanc ipsam scenam extremam designat, quam certo scimus tectam fuisse. Suidas (s. *Σκηνή*) *Σκηνή ἐστὶν ἡ μέση θύρα τοῦ θεάτρου*. Quo in loco *θύρα* dicitur *οἶκτα*, ut a Polluce IV, 128. Quomodo autem convenit, *σκηνήν* et ultimam scenae partem declarare tecto haud dubie ornatam, et universam scenam tecto scilicet carentem? Postremo alia quoque machinamenta, ut encyclema, nisi tecto imminente ne cogitari quidem ulla possunt. Omnino a Boettigero veteres auctores tam raro consultos esse miror, praesertim in tali re, quae sola cogitatione inveniri nequeat. Machinam enim divinam ita constructam fuisse fingit. Excogitat, scenam versatilem et ductilem i. e. machinis quibusdam circumactam vel reductam discessisse eoque quae in postsceniis superioris tabulati fuissent, spectatorum oculis subito exposuisse (p. 354), sive tabulatis superioris contignationis subito diductis machinam intus jam ante paratam in conspectum prodisse (p. 355). Porro opinatur, deos funibus per cochleas tractis e machina in scenam descendisse, sublimes autem sublatis esse iisdem funibus, sed inverso motu retractos (p. 357). Postremo evolasse deos et in altiore aëris regionem ascendisse eo fingit, quod a tergo scenae altiora moenium fastigia vel rupium promontoria emerent, a quibus funes in aëre utrimque apti copulatique essent (p. 358). Quae omnia commentum Boettigerum

deorum machinam recte dilucideque ab ullo describi posse desperamus: quando veterum testimonia et omnino pauca sunt, et pleraque satis tenuia, et nonnulla adeo ambigua, ut tragicamne machinam illi dixerint an potius comicam, statuere vix liceat. Ac de comica quidem quod scribit Pollux IV, 129 ὁ δὲ ἐν τραγωδίᾳ μηχανή, τοῦτο ἐν κωμωδίᾳ κράδη, id minime negligendum est. Neque enim comicae machinae nomen plane diversum imponi potuisset, nisi in magna similitudine aliquo tamen modo a tragica differret. Accedo ad Nub. v. 859 ΣΩ. νηπύτιος γὰρ ἐστ' ἔτι, | καὶ τῶν κρεμασθῶν οὐ τρίβων τῶν ἐνθάδε. | ΦΕΙ. αὐτὸς τρίβων εἴης ἂν, εἰ κρέμαιό γε. Verissime dixi in Euphrosyne p. 10, Aristophanem καὶ τῶν κρεμασθῶν — scripsisse, sed dixi, non demonstravi. Tuentur autem τῶν κρεμασθῶν et libri omnes et schol. ad Vesp. v. 1420, Suidas s. Νηπύτιος, Eustathius p. 1327, 18, metri vitium plane antiquum. Sed veterem scripturam τῶν κρεμασθῶν fuisse docuerat me Aldinum scholium, nunc clarius etiam docet schol. Rav. et Ven. τῶν ὀργάνων τῶν ἀστρονομικῶν καὶ γεωμετρικῶν κρέματα γὰρ ἐν τῷ φροντιστηρίῳ. οὕτω μὲν, εἰ κρεμασθῶν γράφεται. τῶν κρεμασθῶν (sic Ven. Ald., at Rav. τῶν κρεμαστῶν) δηλονότι τετριμμένος εἴης ἀεὶ κρεμάμενος. Falso grammaticus τῶν κρεμασθῶν generis esse putat neutrius τὸ κρεμαστὸν (scil. ὄργανον), deceptus loco Nub. v. 201 sqq. Immo id a nominativo ἡ κρεμαστὴ (scil. μηχανή sive σκηνή) derivandum esse alia eaque notissima scenae machina argumento est, ἡ περιαικτος. Adeo nihil fere ad sententiam differunt ἡ κρεμαστὴ atque ἡ κρεμάδρα. Ceterum τῶν κρεμασθῶν h. l. concinnius argutiusque est, quia ipsum verbum continuo bis subjicitur κρέμαιο. Obscuritas maxime lectionis τῶν κρεμασθῶν in causa fuisse videtur, ut ex alio Nubium loco v. 219 hic quoque τῶν κρεμασθῶν substitueretur. Quin etiam tertia, opinor, scriptura exstitit καὶ τῶν κρεμαστῶν —, quando hac forma utitur schol. Rav., cujus lectionem defendit et ipse a Ravennate vicissim defenditur Pollux X, 156 Ἀριστοφάνης λέγει — κρεμάστραν ἐν ταῖς Νεφέλαις (sic pars codicum, alii vel κρεάγραν vel κρεμάγραν, quod propius abest a κρεμάδραν.) Ergo in Nubibus conjectores quasi gradu facto pro τῶν κρεμασθῶν primum scripserunt τῶν κρεμαστῶν, deinde atticismi causa τῶν κρεμασθῶν. Hic non omitam ad Nub. v. 219 φέρε, τίς γὰρ οὗτος οὐπὶ τῆς κρεμάδρας ἀνὴρ; scholiastam, Παρεγκύκλημα. δεῖ γὰρ κρεμάσθαι τὸν Σωκράτην ἐπὶ κρεμαστῇ (sic Ald., at RV ἐπὶ κρεμάδρας) καθημένον —. κρεμαστὴ

apparet, secus atque ipse professus erat, minime versatilem, sed tantummodo ductilem scenam exhibuisse. Servio enim teste ductilis scena tunc erat, quum tractis tabulatis hac atque illac interiora nudabantur. De tota autem machinatione quis non videt vel ipsum Boettigerum longe aliter iudicatum fuisse, nisi scena, quam putat, sine tecto subdialis praeiudicii vim habuisset?

(RV iterum *κρεμάθρα*) δὲ λέγεται, διὰ τὸ οὕτως αὐτὴν ἀεὶ μετέωρον εἶναι *κρεμαμένην*. Diceret, jam antiquum grammaticum v. 860 τῶν *κρεμαστῶν* recte a nominativo ἢ *κρεμαστῇ* duxisse, nisi Aldinae lectionis quantumvis et doctae et speciosae fidem minueret varietas in Rav. et Ven. sive vera sive ex Nub. v. 219 temere interpolata. Jam vero Socratem Nub. v. 219 in ea machina, quae *Κράδῃ* dicebatur, conspectum esse et scholiasta intellexit, qui synonymo verbo *ἐγκύκλημα* utatur, et res ipsa loquitur. Uti enim dii ex machina, ita Socrates quoque sublimes in aëre erant suspensi. Ita Nub. v. 860 recte emendatus ostendit, comicam *Κράδην* alio nomine eoque aptissimo *τὴν κρεμαστὴν* appellatam esse. At quantum mutata in Nub. v. 219 machinam habemus a tragica. Ipse poeta v. 227 *τὰ ῥῶδον* nominat, sive cratem caseorum, sive ut uni e scholiastis placet, tignum scalamque gallinariam (quam eandem significationem Pollux X, 156 *τῇ κρεμάστρᾳ* in Nubibus tribuit), certe machinamentum plane abjectum, neque comparandum cum speciosa compage tragicae machinae, splendidae illius et plenae dignitate. Ceterum Socrates v. 238 de sua machina in scenam descendit, quod dei tragicorum, qui quidem non in extrema demum fabula nodi secandi causa apparuissent, facere et ipsi solebant. Verum comici poetae, praeterquam quod *τῇ κράδῃ* vili machinae genere usi sunt, interdum tragicam deorum machinam nihil immutatam retinuerunt. Exemplo esse potest Plauti *Amphitruo* V, 2, quo in loco plane ad tragoediae morem verus Jupiter e machina totius dramatis nodum suo unius solvit interventu. Nam, ut in argumentis est, Hinc jurgium, tumultus uxori et viro: Donec cum tonitru voce missa ex aethere, Adulterum se Juppiter confessus est. Atque hoc deo ex machina suspicio est mediae potissimum comoediae poëtas nonnunquam usos esse, ut qui in rebus etiam mythologicis, id est in tragoediae regno versari solerent. Quamobrem in scholiasta Aristidis p. 75 ed. Fromm. *ἔχομεν γὰρ πολλάκις ἐν τοῖς κωμικοῖς δράμασι θεοὺς φαινόμενους διὰ μηχανῆς* Meinekii ad *Fragm. Com. III* p. 107 conjecturam *ἐν τοῖς τραγικοῖς δράμασι* probandam esse nego, quum praesertim idem traditum sit in *Lexico Rhetorico Bekkeri* p. 208, 9. Ceterum eam machinam, qua tragicorum dii in scenam producebantur, haud raro curram simulasse Schuetzius ad *Prometh.* v. 135 ostendit. Neque vero in fine tantum tragoediarum nodi solvendi causa, sed etiam aliis locis aliisque causis dii ex machina prodibant, cujusmodi exempla apud Schuetzium l. l. inveniuntur.¹⁷⁾ Eandem comoediae rationem fuisse supra demonstratum est.

¹⁷⁾ Adde Boettigerum p. 356. — In mimis statim ab initio, ut est apud *Phaedrum* Fab. V, 7, 23 Aulaco misso, devolutis tonitribus Diī sunt loquuti more translatitio. Sed tum quidem loquebantur dii non e tragica machina, sed e pegmate mimorum.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O.,** privatim 1) historiam dogmatum h. VIII — IX senis diebus, 2) historiae ecclesiasticae partem priorem h. IX — X quinis diebus enarrabit. Publice paedagogicen h. XII — I ternis dd. tradet et in Seminarii sodalitis catecheticas sodalium exercitationes tempore constituto moderabitur.
- D. Jo. Phil. Bauermeister, P. P. O.,** 1) quinis dd. hor. X — XI epistolas ad Hebraeos, Galatas, Philippenses et Colossenses interpretabitur, 2) quinis dd. hor. XI — XII systemata praecipuarum ecclesiae christianae partium dogmatica exponet et inter se comparabit.
- D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O.,** Ord. theol. h. t. Decanus, 1) publice dd. Lunae et Martis h. IX artem liturgicam tradet; 2) publice quaternis dd. h. IX recentiore ecclesiae inde a sacrorum instauratione historiam enarrabit; 3) privatim senis dd. h. XI theologiam dogmaticam docebit. In Seminarii sodalitis homileticas sodalium exercitationes die Mercurii h. II et III moderabitur.
- D. J. Chr. C. Hofmann, P. P. O.,** 1) privatim quinis dd. h. VIII — IX veteris testamenti de rerum exitu vaticinia interpretabitur; 2) privatim quinis dd. h. X — XI evangelium Matthaei explicabit; 3) publice quaternis dd. h. III — IV de usu scripturae sacrae dogmatico tum lectiones dabit tum colloquia.

Lic. J. Wiggers, P. P. E., I) publice: 1) Historiam ecclesiae Megapolitanae inde ab initio saeculi XVI usque ad hunc diem enarrabit, d. Martis et Veneris h. IV; 2) Epistolam a Paulo ad Galatas datam interpretabitur, d. Lunae et Jovis h. eadem; II. privatim: 1) Evangelia Matthaei, Marci et Lucae explicabit, senis dd. h. X; 2) Symbolicam tradet, quater p. h. h. audituris commoda.

In ordine juridico.

- D. Conradus Theodorus Gründler, P. P. O.,** tradet 1) publice Encyclopaediam juris, duce Falck, quater per hebdom. hor. IX, 2) processum judicarium duce Martin, sexies p. h. h. III.

- D. Augustus Ludovicus Diemer, Ord. JCtorum h. t. Decanus,** docebit 1) publice, institutiones juris civilis, duce Mühlenbruch (Lehrbuch der Institutionen des R. R. Halle 1842) senis dieb. hor. X. 2) privatim, jus ecclesiasticum commune et Megapolitanum, duce compendio Wiesii, ed. Kraut, sen. dieb. hor. IX. 3) enarrabit historiam formae publicae utriusque Megapoleos, secuturus ordinem chronologicum Caroli de Lützow, quaternis diebus, hora deinde constituenda.
- D. Fridericus Raspe, P. P. O.,** tradet principia juris criminalis communis et Megapolitani, duce Hefster, sexies per hebdom. hor. XI et XII.
- D. Agathon Wunderlich, P. P. O.,** tradet pandectas, sen. dieb. hor. XI et XII.
- D. Fridericus Kierulff, P. P. O.,** 1) publice varios digestorum titulos interpretari perget, 2) privatim historiam et institutiones juris Romani privati, quaternis diebus, hor. IX et X. 3) Jus hereditarium, binis diebus, h. IX et X tradet.
- D. Henricus Thöl, P. P. O.,** tradet 1) jus mercaturae ex libro suo, quater per hebdom. hor. X. 2) jus feudale, bis per hebdom. hor. X. 3) Collegium quod vocant civile practicum instituet, ter per hebd. hor. IV.
- D. Carolus Ad. Schmidt, a consiliis Cancellariae Magni Ducis Megapolitani Suerinensis,** habebit collegium relatorium, diebus et horis suo loco indicandis.
- D. Theophilus Henricus Fridericus Gaedcke** 1) tradet principia, quae officium Notariorum spectant, horis deinde constituendis, 2) quater per hebd. collegium civile practicum instituet. Nec deerit examinatoria et repetitoria cupientibus, quum de universo jure, tum de singulis ejus partibus.
- D. Iwan de Gloeden** 1) gratis interpretabitur selecta Gellii capita, die Mercurii, hor. III. 2) privatim tradet historiam juris Romani, quinquies per hebd. excluso die Mercurii, hor. III. 3) jus publicum Megapolitanum, quater per hebdom. hor. IV.
- D. Hermannus Buchka** privatim scholas de processu civili juris communis, quinquies per hebdom. habebit horis postea indicandis. Privatissime repetitoria et examinatoria offert.

In ordine medico.

- D. Jo. Guilielmus Josephi, P. P. O., Academiae Senior, h. t. Decanus,** tradet artem obstetriciam, h. IX — X.

- D. Henricus Spitta, P. P. O.,** tradet quaternis hebdom. diebus
 1) pathologiam et therapiam specialem, 2) medicinam forensem,
 3) clinicen propaedeuticam binis hebdom. diebus.
- D. Carolus Strempel, P. P. O.,** docebit 1) pharmacologiam
 generalem bis p. h. h. IV. 2) artem operationum chirurgicarum et
 ophthalmiatricarum in cadaveribus illustrandam quater p. h. h. IV
 et 3) exercitationes practicas in Clinico medico-chirurgico quotidie
 h. IX—XI moderabitur.
- D. Carolus Fridericus Quittenbaum, P. P. O.,** 1) in demon-
 strationibus anatomicis splanchnologiam, angiologiam et neurolo-
 giam h. II — IV diebus Lunae, Martis et Jovis, 2) osteologiam,
 syndesmologiam et myologiam h. II. — IV diebus Mercurii et
 Veneris docebit, 3) in secandis cadaveribus auditores h. IX—XII.
 quotidie erudiet.
- D. Fridericus Hermannus Stannius, P. P. O.,** docebit
 1) historiam evolutionis mammalium et avium binis hebd. diebus
 2) pathologiam generalem quotidie h. XII — I. 3) osteologiam
 comparatam bis p. h.
- D. Christianus Krauel, P. P. E.,** exercitationes practicas in clinico
 obstetricio quaternis hebdom. diebus h. X—XI moderabitur.
- D. Jo. Frid. Guil. Lesenberg** has lectiones offert 1) encyclopa-
 diam et methodologiam artis medicae, 2) chirurgiam, 3) artem
 obstetriciam, 4) examinatoria et repetitoria.
- D. Carolus Hanmann** 1) chirurgiam duce Cheliusio, 2) ophthal-
 miatricam duce Bekio, 3) praxin medicam duce Hufelandio,
 4) gratis formulare duce Sundelino docebit.
- D. Joannes Schroeder** tradet 1) pathologiam et therapiam gene-
 ralem, 2) medicinam forensem, 3) pathologiam et therapiam
 morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis
 artis medicae parte cupientibus offert.
- D. Ludovicus Dragendorff** disseret 1) de arte obstetricia et de
 gravissimis gravidarum, puerperarum et recens natorum morbis 2) in
 operationibus obstetriciis exercendis auditores instituet, 3) examina-
 toria et repetitoria cupientibus offert.

In ordine philosophico.

- D. Ern. Aug. Phil. Mahn, P. P. O.,** privatim librum primum Mosis
 interpretabitur quaternis diebus h. XI. Publice 1) vaticinia Messiana
 prophetarum minorum illustrabit ternis diebus h. II. 2) elementa
 linguae Arabicae aut Chaldaicae et Syriacae docebit ternis diebus
 h. II. 3) exercitationes Ebraicas moderabitur ternis diebus h. III.

- D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., publice**
 1) Euripidis Medeam interpretabitur h. XI quater p. h. 2) historiam literarum Graecarum exponet h. XI et XII sexies p. h. Postremo seminarii philologici exercitationes moderari perget, in quo Horatii Epistolae et Ranae Aristophanis pertractabuntur.
- D. Joannes Roeper, P. P. O., h. t. Rector, 1) privatim docebit:**
 1) zoologiam generalem, demonstrationibus in Museo academico illustrandam, quinque diebus h. XII; 2) initia cryptogamologiae, diebus Martis, Mercurii et Jovis h. III. 3) publice physiologiam plantarum, diebus Lunae et Veneris h. III tractabit; 4) disputationes de rebus physicis una cum collegis de Blücher et Karsten moderabitur.
- D. Eduardus Danielis Henricus Becker, P. P. O., h. t. Decanus, publice**
 1) elementa rei rationariae oeconomicae binis p. h. diebus tradet h. XII, 2) agriculturam quinque diebus h. IX et 3) rem pecuariam quaternis p. h. diebus docebit h. XI.
- D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., 1) publice, binis diebus, h. XI**
 Callimachi hymnos interpretabitur; 2) privatim, quaternis diebus, h. III Ciceronis epistolas ad Familiares explicabit; 3) privatissime, quaternis diebus, horis constituendis, antiquitates graecas tractabit.
- D. Helmuth de Blücher, P. P. O., privatim 1) chemiam**
 experimentalem tam inorganicam quam organicam quater p. h. h. X—XII tradet; 2) disquisitiones chemicas analyticas ter p. h. h. II—IV instituet.
- D. Hermannus Karsten, P. P. O., docebit publice: astronomiam**
 popularem bis p. h. hora VIII, privatim: geometriam analyticam quater p. h. hora VIII, geognosiam quater p. h. et geographiam physicam bis p. h. horis commodis. Privatissima offert collegia de quavis matheseos vel physices parte, neque deerit iis, qui in rebus nauticis institui velint. Disputationes denique de rebus physicis una cum collegis Roeper et de Blücher moderabitur.
- D. Carolus Tuerk, P. P. O., publice 1) de historiographis medii**
 aevi gravissimis critice disseret semel p. h. h. II, 2) de geographia, antiquitate, historia Americae foederatae atque de rerum statu, qualis ibi nunc est, tractabit bis p. h. h. II. Privatim docebit 3) historiam medii aevi, quinquies p. h. h. XI, 4) historiam legum Germanicarum, ter p. h. h. II.
- D. Christianus Wilbrandt, P. P. O., privatim 1) historiam philosophiae**
 enarrabit senis diebus h. IX; 2) historiam literarum Germanicarum diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. X; 3) exercitationes Seminarii philosophico-aesthetici moderari perget horis constituendis.

- D. Fridericus Francke, P. P. E.,** 1) publice in Anthropologia psychica instituet, quater per hebdomadem; 2) privatim Ethicam quaternis et 3) religionis philosophiam docebit, totidem p. h. diebus.
- D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E.,** privatim 1) metra, quibus Graeci et Romani usi sunt, illustrabit, quaternis diebus h. IV — V; 2) Taciti annales interpretabitur quaternis diebus h. III — IV. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.
- D. Eduardus Schmidt, P. P. E.,** 1) publice philosophiam religionis christianae tradet bis p. h. h. III; 2) privatim philosophiam historiae docebit quater p. h. h. IV; 3) privatim encyclopaediam disciplinarum philosophicarum tractabit, praemissa introductione universali in philosophiam, quinquies p. h. h. XI; 4) privatissime sed gratis disputationes de rebus ad philosophiam religionis pertinentibus more suo moderabitur.
- D. Carolus Hegel, P. P. E.,** 1) historiae recentiorum temporum primam partem inde ab a. 1789 usque ad a. 1812 bis per heb. h. III. publice 2) historiam universalem quinquies per heb. h. IV privatim tractabit.
- D. Carolus Weinholtz** privatim 1) logicam formalem ex compendii sui secunda parte docebit et cum Aristotelis nec non Hegelii logica, quae dicitur subjectiva, comparabit, quaternis diebus p. h. h. XI — XII; 2) de philosophorum principiis historice et critice disseret, binis p. h. h. XI — XII.

* * *

Bibliotheca h. XII — I quotidie, festo die et solis excepto, **Museum** vero die Lunae h. II — IV Commilitonibus nostris aliisque aperientur. Conferatur §. 1 legum de usu Bibliothecae nostrae recens scriptarum. Gallicam, Anglicam, aliasque linguas exoticas discendi occasio non deficit. Sunt etiam magistri publice constituti, qui

artem equitandi, pingendi, musicam et artem gymnasticam doceant.

Domicilia comoda quaerentibus monstrabit **J. H. Schulze**, Academiae nuncius juratus.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

J. Roeper, Ph. et Med. D.

Praesidet ordini Theologorum **Otto Carsten Krabbe, Ph. et Th. D.**

Juris consultorum **Augustus Ludovicus Diemer, Ph. et J. U. D.**

Medicorum **Jo. Guilielmus Josephi, M. D.**

Philosophorum **E. D. H. Becker, Ph. D.**